

Q.K.
416,
3.

PROLVSIO
DE
PERSECUTIONIBVS
VNIVERSALIBVS,
QVA
AD AVDIENDAM ORATIO
NEM X 23 A 3030

IN SCHOLA NOVÆ VRBIS AD DRESDAM
DIE VII. MAJI CLO IO CC LXII,

MVNERIS RECTORIS ADEVNDI CAVSA
RECITANDAM

PATRONOS ET FAVTORES
HUMANISSIME INVITAT


M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS
RECTOR.



FRIDERICOSTADII
EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.

76

ADMITOLINER
ACADEMIAE



Vum mihi non magis consuetudo a majoribus tradita,
& ab omnibus solemniter huc usque usurpata, quam
grati animi declarandi studium, quod Rectoris mu-
nere mihi demandato, non angustis taciti animi finibus se coereri
continerique patitur, necessitatem imponeret, adeundi muneric causa
prolusionem, ex humanitate desumtam, in lucem aspectumque eru-
ditorum edendi; rem neque inutilem omnino aliis, neque ingratam,
me suscepturn arbitratus sum, si historiam persecutionum, quas uni-
versales dicunt, pro virium mearum modulo, illustrare inciperem.
Etenim si quis est alias, in cognoscendis ecclesiae Christianae fatis,
locus, qui ad demonstrandam religionis nostrae divinitatem multum
valeat, sine omni dubitatione est accurata earum calamitatum historia,
quibus primi nominis christiani professores, ab imperatoribus a Chri-
sto alienis petiti vexatique fuerunt: Quo loco haud scio an sit alius
cognoscendus magis, cum in eo non solum luculentissima occurant
divinae religionis nostrae testimonia, a Deo exhibita, sed idem sit

A ij

etiam,

etiam, & ad intuenda exempla instituendae vitae nostrae profutura, copiosissimus, & ad verum adeo pietatis sensum alendum fructuosissimus.

Acerbe igitur dolendum est, hanc utilissimam pariter ac gravissimam doctrinam, magna adhuc obscuritate premi multisque antiquitate temporis quasi nobilitatis erroribus, occupatam obfessamque esse.

Hinc sapientissimo consilio ductus eruditissimus quisque historiam harum calamitatum exoptavit eam, quae ab his erroribus purgata, omnia temporum ratione habita, exponeret: cui labori huc usque erudi fortasse defuerunt propterea, quod aut molestis, quae devorandae essent, deterrentur, aut non satis instructi paratique accederent, aut denique, quod ad res potius ipsas, quam ad tempora sibi respiciendum esse arbitrarentur. Est quidem nullum Historiae Ecclesiasticae, ut vocant, compendium tam arctis circumscripturn limitibus, in quo harum vexationum⁽¹⁾ vestigia non invenirentur: at si libros hos omnes, eos etiam, qui data opera vel omnes omnino, vel unam alteramve tantum vexationem universalem explicarunt, paulo accuratius perlustremus, vel paucos vel omnino nullos inveniemus, qui judicibus harum rerum intelligentibus satisfaciant.⁽²⁾ Quamquam autem ego non sum is, qui aliorum labores prae suis fastidiose condemnat, sibique persuadeat, ingenii posse, qua polleat felicitate, doctrinaeque copia has tenebras,

(1) Hac voce Sulpit. Sever. in historia sacra saepe est usus: voce ad rem expri mendam satis apta & accommodata. Asconius p. 46. docuit vexare, ingentis calamitatis usum significare, cum quo contentit Servius ad Virg. Ecl. VI. v. 76.

(2) Alsb. Fabricius in luce Evang. cap. 7. p. 133. recenset omnes omnino persecutionum universalium scriptores: at dolendum tamen est Binghamum, qui hanc doctrinam ex Actis Authenticis describere instituerat, operi huic immortali, immortuum esse.

bras, quibus hic locus offusus est, dispellere, atque adeo doctissimum virorum desideria explere: tamen operam nostram qualemcumque utilem futuram speramus iis, qui aliquando subtilius copiosiusque in hoc genere versari sustinebunt. Quod sequentes in animum nobis induximus, annuente Deo, aliquot programmatis, ea tamen brevitate, qua fieri possit, utilissimum hoc, omnisque solatii plenissimum Historiae Ecclesiasticae caput de persecutionibus, data occasione, quam munus benigne nobis oblatum suppeditabit, explicare, & ab erroribus vere popularibus liberare.

In hac autem quasi prologione studium nostrum versabitur tantum in eo, ut, ubi pauca de numero harum afflictionum attulerimus, scitu necessaria, veram deinde & genuinam earum indolem ac naturam lectorum animis informemus.

Si plerosque Historiae Ecclesiasticae Scriptores evolvamus, eorumque scripta de persecutionibus universalibus inspiciamus, omnes fere uno ore & quasi consentiente voce contendere intelligimus, ecclesiam christianam decem in primis calamitatibus, petitam vexatamque fuisse: quem tamen numerum, quamquam paucissimi ejus vestigia sequantur, Celeberrimus MOSHEMIVS ⁽¹⁾ tanquam parum accuratum rejicit. Si enim, inquit ille, *universales & graviiores intelligas vexationes, pauciores sunt quam decem: Si minores & provinciales, longe plures sunt quam decem.* In eadem fuit sententia HENRICVS DODWELLVS, ⁽²⁾ quippe qui hoc ageret, ut numerum afflictionum longe minorem constitueret, cuius tamen rationes ita sane comparatae sunt, ut vix assensum mereantur, quem viri fama flagitare videatur. Dictis ut fidem

A iii

faciat,

⁽¹⁾ in instit. H. E. majoribus Lib. I. P. I. Cap. 5. §. 4. p. 33.

⁽²⁾ diss. XI. Cap. 8.

faciat, in primis urget, quod MELITO SARDIANVS, ⁽¹⁾ & TERTVL-LIANVS in Apologet. ⁽²⁾ tantum Neronis & Domitiani mentionem faciant, & quod LACTANTIVS ⁽³⁾ quinque solum principes in persecutoribus ante Diocletianum numeret. Quibus tamen rebus, ingenue, ut fatear, ego nullo modo a me impetrare possum, ut ejus sententiae calculum addam meum, praesertim cum variae possunt commemorari cause, quibus LACTANTIVS commotus, reliquos principes Romanos non in numerum censumque persecutorum retulit, quasque suo loco afferemus. ⁽⁴⁾ Neque etiam diversa computandi ratio, quae suspicionem aliquam afferre poterat, me movit, ut a recepto a plerisque numero decennario, sine gravi aliqua causa recederem. Sunt enim nonnulli qui cum SVLPITIO SEVERO ⁽⁵⁾ quartam adscribant HADRIANO, quam tamen alii, EVSEBII auctoritate freti, MARCO ANTONIO tribuunt, & sic etiam in subsequentibus. Caeterum tenendum est, a multis jam inde Saeculis hanc erroneam, de persecutionibus universalibus sententiam, a Scriptoribus Ecclesiasticis receptam atque defensam esse. Invaluit enim ea jam Saec. V. eamque ob causam, tam apud SVLPITIVM SEVERVM ⁽⁶⁾ quam apud AVGVSTINV M ⁽⁷⁾ invenitur. Hoc enim Saeculo nonnulli in eam se abduci passi sunt sententiam, ut vexationes, quibus Aegyptii Israelitearum causa, a Deo afficerentur, pro typo vexationum haberent, quibus Ecclesia Christi premebat.

Fuerunt

⁽¹⁾ in Euseb. H. E. Lib. IV. c. 26.

⁽²⁾ cap. 5.

⁽³⁾ cap. 3. de mort. persecut.

⁽⁴⁾ Haec enim omnia a Dodwello eum in finem disputata sunt, ut paucitatem martyrum inde probet.

⁽⁵⁾ in Hist. Sacra Lib. II. c. 31.

⁽⁶⁾ in Hist. S. Lib. II. c. 33.

⁽⁷⁾ de Civit. Dei, Lib. XVIII. c. 52.

Fuerunt etiam qui in nonnullis Scripturae sacrae dictis, in primis in APOCALYPSI ⁽¹⁾ hunc numerum invenisse sibi viderentur: qui quam graviter lapsi sint, vel exinde patet, quod hoc modo quilibet potius aliis numerus, in primis septenarius, ex locis quos afferunt, possit effici. Sed missis omnibus ambagibus, nosque potius ad veram genuinamque harum calamitatum naturam ac indolem investigandam, accingamus.

Duo autem in una quaque afflictione universali notanda veniunt momenta, ad quae respicere debemus, si recte de iis judicare velimus: unum est, ut ejus initium sit vel in quinquennalibus, vel decennalibus, vel etiam, ut factum esse videbimus alio loco, sub ipsum auspicium imperii; alterum idque praecipuum, ut ex edicto Caesaris suscepta, & per universum imperium Romanum grassata sit vexatio. De utroque breviter & accurate nobis agendum erit.

Ad primum igitur quod attinet, sciendum est, in more apud Romanos positum fuisse, ut imperatores, ubi imperium auspicarentur, nec non in quinquennalibus & decennalibus formam imperii sui constituerent, eamque ob causam, tam veteres leges approbarent, quam novas scriberent; uno verbo, ut suscepta rerum omnium tam civilium, quam sacrarum cura, quod probarent, quodque rejicerent, notum esset omnibus. Cujus rei confirmandae, locupleteim testem habeo VOPISCVM ⁽²⁾ qui Aurelium refert, editis quinquennalibus multa memoria digna gesisse, leges plurimas & saluberrimas sanxisse, sacerdicia composuisse, templum solis fundasse, & pontifices roborasse. Itaque ratio obscura esse non potest, quare in quinquennalibus & de-

cenna-

(¹) Cap. XVIII. v. 14.

(²) in vita Aurel. Cap. 35.

cennalibus, persecutions aut decretae aut auctae fuerint,⁽¹⁾ & quam ob causam Doctores Ecclesiae nostrae his potissimum temporibus Apologias pro Christianis,⁽²⁾ Caesaribus obtulerint.⁽³⁾ Ad hunc morem si chronologiae Historiaeque Ecclesiasticae Scriptores respexissent, doctrinamque de quinquennalibus & decennalibus rite perceptam semper tenuissent, dubium non est, quin jam dudum permulti ex hoc capite errores proscripti profligatiique essent. Ex quo enim tempore harum rerum studium, dispulsa ignorantiae nube eruditorum animos occupavit, quod in primis a NORISIO,⁽⁴⁾ PAGIO,⁽⁵⁾ & MAZZOLENO⁽⁶⁾ factum esse meminimus, ab eo, inquam, tempore multo certior ad persuadendum, longeque uberior ad utilitatem facta est calamitatum istarum historia. Priusquam autem in instituto nostro pergamus, liceat nobis tironum causa, in primis dilectissimorum disciplinae nostrae Alumnorum gratia, quibus inde ab hoc tempore, omnia studia nostra sacra esse cupimus, in veram quinquennalium & decennalium descriptionem breviter excurrere.

Mos fuit, uti jam vidimus, apud Romanos Imperatores, ut quinto quoque anno vota susciperent, solemniaque celebrarentur gratiarum agendarum causa; cuius rei origo dicitur ex antiquissima re publica Romana, nempe ex censu, qui quinto quoque anno habebatur. Sub finem prioris, vota a Censore suscipiebantur in proximum

quin-

(1) Pagi diss. hyp. c. 3. p. 46.

(2) ibid. p. 47. §. 6 - 12.

(3) in his etiam editus est Codex Theodosianus, de quo agit Pagius in diss. hypat. c. 4. p. 51.

(4) in Epistola consulari, quam Graevius thesauro Antiquit. Rom. Tom. XI. inseruit.

(5) in dissert. hypothica, quae Tom. I. ejus Annal. praefixa est.

(6) in numismatibus e museo Pifano editis.

quinquennium, h. e. promittebantur victimae & dies festi agendi, si res publica salva & in eodem statu mansisset. Hinc factum est, ut & AVGVSTVS, & qui ipsum imitarentur reliqui Caesares vota susciperent, si quinquennalia feliciter imperasset, & ab hoc tempore haec solemnia quinquennalia, altera decennalia, tertia quindecennalia, quarta vicennalia, sexta tricennalia dicta sunt. Graeci hos ludos vocant πενταετήρια, δεκαετήρια, (1) τὸν κύκλον τῆς δεκάδος, κύκλον βασιλικὸν, περιθη σeu δευτέρων τῆς βασιλείας περίοδον, τὰς δεκάδες τῶν ἑπτατριῶν, κύκλον τὰν πανηγύρεων, quibus Diis pro beneficiis Romanis praeterlapsi quinquennio tributis, gratias agebant.

Originem autem institutionemque horum ludorum, omnium optimè describit DIO, (2) ubi refert Augustum, septies consulem, mira arte simulasse imperio se abdicare, libertatemque Reipublicae restituere velle, precibus autem S. P. Q. R. commotum, passum esse, orbis terrarum imperium in decennium sibi decerni, quod tamen ipse apta ad tempus simulatione in quinquennium tantum suscepit ita, ut reliqua sint secuta. Ex historia enim patet, Augusto quinque decennia esse decreta, eumque anno secundo quinti decennii Nolae placide esse mortuum. Quamquam negandum non est, temporibus etiam liberae Reipublicae ludos quinquennales in usu fuisse, cujus rei probandae insignis locus legitur in LIVIO, (3) ubi etiam ritus horum

ludo-

(1) vid. Scaligeri ordo temporum Lib. VI. p. 501.

(2) Lib. LVIII. Τῆς δεκατίας ἐξελθόσης, ἄλλα ἔτη πέντε, εἶτα πέντε καὶ μετὰ τότο δέκα, καὶ ἔτερα ἀνθίσ δέκα, πεμπάνις ἢ αὐτῷ ἐψηφίσῃ· ὡς τε τῇ τῷ δεκατηγόρων διαδοχῇ διὰ βίσ αὐτὸν μοναχῆσαι.

(3) Lib. XXXI, c. 9. Vovit in eadem verba Cos. praeēunte Pontifice Maximo, quibus antea quinquennalia vota suscipi solita erant.

ludorum describuntur; extra tamen omnem dubitationem positum mihi esse videtur, Caesarum ludos quinquennales & decennales deducendos esse a consuetudine Augusti, qui imperium non nisi in quinquennium suscipere solebat. In celebrandis autem his ludis Caesares plerumque Consulatum ipsi gesserunt. ANTONIVS PAGI, quidem audacter affirmat, hoc semper factum esse: sed quia ad hanc rem confirmandam nihil afferri potest, quam unus THEMISTII locus⁽¹⁾ nollem rem tam lubrico fundamento innixam, tanta confidentia defendere. Interim nullo modo negari potest, Imperatores plerumque in his ludis Consulatum, uti Fasti Consulares docent, gessisse, ut eo ipso pomparam celebriorem redderent. Ad causas horum ludorum, quod attinet, aliae fuerunt ex parte Imperatorum, aliae ex parte Senatus atque Populi. Ab imperatoribus quinquennales & decennales celebrabantur ad imperium instaurandum, & Augustum quodammodo imitandum. *Quamquam enim, inquit DIO, (2) successores Augusti non ad certum tempus, sed per omne vitae spatium imperium in se suscepserunt, tamen singulis decenniis festum diem pro ejus instaurazione agunt.* Hic enim ludi quinquennales & decennales novas quasi epochas constituebant: inde pendent etiam numi cum inscriptionibus: primi Decennales, secundi decennales, &c.⁽³⁾ Populus autem una cum Senatu hos ludos maxima colebat religione, Diisque agebat gratias, qui vota, superiori quinquennio pie concepta, rata fecerant, novaque ad aram Jovis Capitolini nuncupavit, quorum summa plerumque

⁽¹⁾ in orat. XVI. p. 205. ed. Harduini.

⁽²⁾ Lib. LIII. καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, καὶ τοι, μηδέτες τακτὸν χρόνον, ἀλλ᾽ ἐπί πάντα καθάπταξ τὸν Βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα δὲ ἑτῶν ἔνεγκασαν αἵ καὶ τὴν γῆγεμονείαν ἀνθίσ τότε ἀνανεύμενοι.

⁽³⁾ vid. Spanheimii diss. X. p. 102. de Inscriptionibus autem Index Gruterianus quintus.

que eo redibat, ut longam vitam Imperatori, securitatem imperio, domui Augustae amplitudinem, exercitui virtutem, senatui fidelitatem, pacem mundo, & victoriam adversus hostes tribuerent,⁽¹⁾ Causae igitur horum ludorum ab utraque parte erant his temporibus justissimae, nulloque modo a gentilibus improbandae. His enim imperatores agnoscebant, se imperium debere populo; & civibus opportunissima dabatur occasio gratum declarandi animum, tam Diis, quibus haec beneficia per Imperatores accepta, deberi existimabant, quam Imperatoribus ipsis, per quos pacem, incolumentem, & bona quaeque acceperant. Neque minus his ludis quasi coacti sunt, Deos supplices implorare, ut & in futuris quinquennialibus iis bona quaeque largiantur & omne genus malorum, quam longissime propellant. Quare etiam Imperatores, in primis qui gratiam populi captarunt, omne genus largitionum in his quinquennialibus & decennalibus quasi profuderunt. Neque minus, uti jam monui, in his ludis etiam curam rerum omnium tam civilium quam sacrarum Imperatores ipsi in se suscepérunt. Quum igitur nonnulli in ea essent sententia, ut putarent, religionem christianam omnium malorum fontem esse, qua veri Dii, quos & maiores, & ipsi tam diu coluissent, negligenterunt, eumque ob neglectum Imperio Romano mala quaeque a Diis iratis immitti;⁽²⁾ suum esse existimabant hanc foedam Christianorum superstitionem non tantum legibus, gravissimis poenis sanctis prohibere, sed professores nominis Christiani etiam omni modo vexare. Ex quibus rite perpensis patet, quare plurimae Christianorum vexationes in quinquennialibus & decennalibus aut decretac aut auctae fuerint. Po-

B 2

pu-

(¹) Onuphrius Lib. I. Fast. p. 175. Plinii Epist. Lib. X. epist. 101. & 102.

(²) Haec summa etiam est epistolae Symmachi, quae Lib. X. numero 45. legitur; quamque Ambrosius doctissime refutavit. Quae refutatio etiam jure meritoque inter Apologias pro religione Christiana scriptas, refertur.

pulus autem, ut gratum erga Imperatores declararet animum in quinquennalibus, auctore DIONE,⁽¹⁾ attulit aurum coronarium, & coronas, ut in lege 4. Cod. Theod. legitur.⁽²⁾ Has autem coronas non tam cives Romae viventes Imperatoribus obtulerunt quam provinciales potius, qui eas per legatos mittebant. Tenendum enim est, hos ludos quinquennales uti & ludos Actiacos non solum Romae, sed in provinciis etiam editos esse. Cui rei confirmatae gravissimi testes sunt numi, quos VAILLANTIVS⁽³⁾ protulit. Haec sunt, quae de quinquennalibus & decennalibus in universum disputare volui. Priusquam autem ad alterum vexationum universaliū requisitum procedam, tenendum est, ea omnia quae de quinquennalibus in universum a me disputata sunt, ea omnia, inquam, etiam de initio Imperii interpretanda esse. Sub auspicio enim Imperii, Caesares non solum vota, ad imperium feliciter auspicandum nuncuparunt, sed plerumque etiam ipsis Calendis Januarii⁽⁴⁾ Consulatum suscepérunt, leges antiquas confirmarunt, novas tulerunt, omnes tam civiles quam sacras res curarunt. Haec eam imprimis ob causam monui, quoniam una alteraque persecutio neque in quinquennalibus neque in decennalibus sed sub auspicio Imperii decreta fuit, eamque ob causam jure meritoque inter universales refertur.

Alterum quod in persecutione, universalis nomine insignienda quaeritur, est ut non solum edicto Caesaris iussa fuerit, sed illud etiam in omnes omnino provincias missum sit. Quibus enim vexationibus propraetores reliquique magistratus provinciales in Christianos

fa-

⁽¹⁾ in Fragmento a Valesio edito.

⁽²⁾ Pagi dissert. hypat. p. 42. §. 18.

⁽³⁾ in numismatibus aereis Imperat. in coloniis & municipiis, Tom. II. p. 5.

⁽⁴⁾ Pagi dissert. hypat. p. 40. §. 13.

saevierunt, eae ne provincialium quidem persecutionum nomen jure merentur. Ad universalem igitur vexationem necessario requiritur Edictum Principis. Imperatores vero edicta tam in ipsis auspiciis Imperii, quam in quinquennalibus & decennalibus toti populo proposuerunt, quae tum ad res civiles, tum ad sacras spectarunt. In rebus sacris constituendis, nonnulli, sui esse putarunt legibus constitutere, ut Christiani cultum Deorum negligentes, gravissimis poenis punirentur, & ad colendos Deos vi cogerentur. Unde originem duxerunt edicta Imperatorum non Christianorum de Christianis; cuiusmodi lata esse edicta, docet inter alios LACTANTIVS.⁽¹⁾ Fuerunt etiam (*intelligit christianorum persecutores, in primis Domitianum,*) sceleratissimi homicidae, qui contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegae, & disputationes Jurisperitorum leguntur injustae; Domitius⁽²⁾ de officio Procons. libro VII. rescripta principum nefaria colligit, ut diceret, quibus poenis afficiendi essent qui se cultores Dei profiterentur. At non sine magno Historiae Ecclesiasticae detimento perdita est horum rescriptorum collectio, quae, si adhuc superesset, magnam sine dubio historiae religionis lucem allatura esset. Nonnulla quidem tulerunt aetatem nostram, sed paucissima, quae summo studio BALDVINVS, de antiquitatibus Ecclesiae optime meritus collegit, doctissimumque animadversioni-

B 3

bus

(1) Lib. V. cap. XI. Instit. div.

(2) Sunt nonnulli eruditorum, qui Domitium Vlpianum Jatorum patrem intellegant, quem scimus libros X. de officio Proconsulis scripsisse, Christianorumque infensissimum hostem fuisse, uti ex ff. c. 1. de extr. cognit. patet, ubi eos impostores vocat. At cum Vlpianus sub Ant. Caracalla libros suos composuerit, quo tempore Christianis jam via ad honores patuerit, vix probabile est, Lactantium ad Vlpiani collectionem respexit. vid. Grotius de viris Jurecons. Liv. 2. c. 50.

bus ornata, in lucem aspectumque eruditorum edidit: pleraque tamen, imprimis Domitii studio collecta temporum injuria nobis erpta sunt. In explicandis autem Christianorum vexationibus non sufficit, haec a BALDVINO collecta edicta in subsidium vocari, sed inspicienda etiam sunt, diligentique manu pervolvenda, Imperatorum edicta, quae ob Judaeos in utramque partem condita fuerunt. Quis enim in cognoscendis Historiae Ecclesiasticae fatis tam hospes & peregrinus est, quin sciat, paganos imprimis provinciales modo insectitia deceptos, modo malitia concitatos, Christianos saepe cum Judaeis commiscuisse? Quo factum est, ut grauissimae saepe calamitates in Christianos exinde redundarent. Quoties enim cunque Judaei a Romanis expulsi sunt, aut alio modo vexati, toties etiam Christiani simul a provincialibus petiti vexatique fuerunt. Jam historia Judaica pariter ac Romana docet, nullum fere populum, ob religionis cultum a Romanis tantopere vexatum esse, quam Judaeos. In more apud Romanos positum erat, ut devictis hostibus semper suos relinquenter Deos, & in oppugnandis, soloque aequandis urbibus, eos solemni carmine evocarent. Neque minus omnibus, librum uti Theologi loqui solent, permiserunt religionis exercitium. Quare non sine singulari fato factum mihi esse videatur, ut Romani, qui aliis populis tam faciles atque benigni se praestitissent, in Judaeos tam difficiles atque crudeles reperti sint. At hanc rem probandam, adduxisse sufficiat testimonium CICERONIS.⁽²⁾ Reliqua edicta Romanorum in utramque partem ob Judaeos facta, uno volumine edidit GRONOVIVS.⁽³⁾ His nefastis Imperatorum decre-

tis

(¹) Hunc Franc. Balduini Commentarium de edictis veterum principum Romanorum de Christianis; praemiso ejusdem Balduini commentario de Constantini M. legibus ecclesiasticis & civilibus denuo edidit Nic. Hier. Gundlingius Halae 1727.

(²) Orat. pro Flacco.

(³) & petita sunt ex Joseph, Lib. XVI. Antiquit.

tis odio Judaeorum lati, accusatores Christianorum saepe usi sunt, ut veri Dii cultoribus molestiam crearent. Nam ex legibus Romanorum nemini licebat quemquam, non laudata lege, in quam reum commisso putaret, accusare. Plerique igitur Christianorum inimici laudabant leges, ob Judaeos latas, ex quibus damnandos eos esse existimabant. Etenim Christiani magnopere vexati sunt, antequam ullum ob eos conditum est edictum. Quae etiam res quaestioni causam dedit, licitum ne fuerit, etiam sine accusatore in Christianos inquirere? ⁽¹⁾ BALDVINVS arbitratus est, non solum factum esse, sed ex legibus quoque. At Celebr. BOEHMERVS, ⁽²⁾ contrariam amplexus est sententiam. In universum quidem non negat, interdum factum esse, ut praetores, odio in Christianos ducti, etiam sine accusatore, in eos, ante Trajani interdictum inquirerent, ⁽³⁾ legibus tamen nullo modo permisum fuisse. CICERO enim ipse in oratione pro Roscio Amerino docet, jure antiquo, neminem sine accusatore condemnari potuisse. Neque dubito, quin recte & eleganter judicaverit Celebr. BOEHMERVS. Ex quibus omnibus, in summam quasi collectis, patet, nullam persecutionem universalem habendam esse, nisi aut in quinquennalibus aut decennalibus aut sub auspicio Imperii decretam, editio Caesaris indictam.

Sed de persecutionibus universalibus earumque requisitis satis jam diximus. Nunc autem deveniendum est ad id, quod hujus scribendae Prolusionis suavissimam occasionem nobis suppeditavit. Scilicet cum in eo simus, ut munus Rectoris in schola Novae Urbis ad Dresden singulare beneficio Amplissimi hujus Urbis Senatus nobis demanda-

⁽¹⁾ de edictis veter. princ. Rom. de christ. p. 64.

⁽²⁾ in Jure Eccl. Protest. Tom. IV. Lib. 5. Dec. Tit. I. §. 8. p. 617.

⁽³⁾ Plin. Epist. Lib. X. epist. 98.

QK
III
2014
16 *Prolyrio de Persecutionibus Vniuersalibus.*

datum, adeamus, constitui hoc, boni ominis causa, & more majorum, recitanda oratione, *de commodis institutionis publicae p[re]e institutione privata*, bono cum DEO auspicari. Ad quam audiendam, ut Magnificus hujus Scholae Ephorus, Amplissimi Reipublicae Patres Conscripti, & reliqui devenerandi scholarum Patroni, frequentes convenire, & novi muneric nostri initia, pro suo in bona litteras amore, ornare sua praeSENTIA & favore velint, ita rogamus atque oramus, ut eam rem nos in magno & in primis in jucundo beneficio posituros, sanctissime polliceamur. Scripsi Dresdae die V. Maj.

CICCLXII.



Hi
2014

PROLVSIO
DE
PERSECVTIONIBVS
VNIVERSALIBVS,
QVA
AD AVDIENDAM ORATIO
NEM

X 23 A 3030

IN SCHOLA NOVAE VRBIS AD DRESDAM

DIE VII. MAJI CLO IO CC LXII,

MVNERIS RECTORIS ADEVNDI CAVSA

RECITANDAM

PATRONOS ET FAVTORES

HUMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS

RECTOR.



FRIDERICOSTADII

EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.

76

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Cyan

Blue

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Q.K.
416,
3.

Farbkarte #13

